



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De sacerdote sine ordinibus celebrante, cuius manus sacer ignis
deuravit, cap. 60.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

nis, deuotionis, siue diuini timoris. Ego puto me eisdem Missæ interfuisse. Confessus est nobis præfatus Daniel, etsi tunc non mihi, nunquam se in aliqua Missa tantum habuisse consolationis, antea vel postea, quantum in illa. Postea cum idem Bertolphus hospitaretur apud nos, Abbas noster negligentiam ei recitauit, sed nescio qualiter Deo satisfecerit. APOLLONIVS: Melius esset tam miseræ vitæ sacerdotibus, de qualibus supra dictum est, tacitis verbis, & remota intentione, tantum simulatione celebrare, quam corpus Domini conficere, & sumere ad iudicium sibi. CÆSARIVS: Plus istos quædam autoritas dicit peccare, quia nihil simulatoriè, nihil prestigiôsè, vel aliter quam institutum est in ecclesia, in hoc sacramento fieri debet. Idem sentiendum est de his, qui sine ordinibus celebrant, & more sinearum alios imitantur. APOLLONIVS: Vnde hoc probas? CÆSARIVS: Ozias Rex Iuda, cum ex nimio feruore deuotionis officium sacerdotale sibi usurparet, à Domino lepra percussus est. Non puto quin multi sub eo essent mali sacerdotes indignè offerentes, qui tamen puniti non sunt. Sicut enim secundum quantitatem & qualitatem culpæ quantitas & qualitas pænæ moderantur: ita è contrario, ex pænâ cognoscitur culpa: audi de hoc recens exemplum.

CAPVT LX.

*Missam
dicentes
non ordi-
nati sa-
cerdotes,
penitentia-
rum.*

Sicut mihi narrauit suprascriptus Daniel, clericus quidam quando Parisijs studuit, horrendum factis spectaculum in ecclesia sanctæ Mariæ Dei genitricis populo præbuit: Nam sacer ignis penè manus eius deuorauerat: quem secretiùs cum campanarius interrogasset, cuius esset ordinis, & ille respondisset, Sacerdotij, subiunxit: Nunquam sacro Chrismate manus istæ perunctæ sunt. Sentiens ille spiritu prophetico se deprehensum, confessus est culpam. Quantum Christo tanta præsumptio displiceat, sequens exemplum manifestat.

CA